



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

XV. De Suspensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

posita, Chrisma die cenae Domini posse confici dubium esse non debet. Vnctio autem extrema, & Ecclesiastica sepultura, & divinatorum officiorum celebratio tempore generalis interdicti omnibus denegatur, nisi quibusdam, quibus id ex gratia certa servata forma conceditur: ceteri autem sive clerici, sive laici, qui interdictum violando neryum Ecclesiastica disciplina conantur infringere, quibuscunque privilegijs non obstantibus, sententia excommunicationis subijciuntur: à qua per sedem duntaxat Apostolicam absolvi poterunt.

Appellationis praeiudicium violatoribus interditi minime suffragatur. h. d.

Nec aliquid violatoribus proderit, quod appellasse, atque ideo se interdicti sententia minime teneri contendant, sicut enim post appellationem excommunicari non possunt, sic interdictum, cui ante appellationem eos constat esse suppositos, declinare nequeunt.

DE SUSPENSIONE.
TITVLVS XV.

Suspensio est duplex, ut excommunicatio, & interdictum.

Suspensio quoque alia est Canonis, alia iudicis, sicuti excommunicatio, & interdictum. Canonis est, veluti cum quis ob Simoniam, vel ob notoriam fornicationem, vel aliud crimen ipso iure à sui executione ordinis, vel officii arceatur.

Ob mortale peccatum non notorium est quis suspensus, quoad suspensionem non quoad alios. h. d.

Alii à crimine per sententiam, vel per confessionem factam in iure, aut per rei ipsius evidentiam notorium non fit: & si quilibet pro mortali peccato, quoad seipsum, sit suspensus, quoad alios tamen pro suspensio non habetur: ideoque in officijs Ecclesiasticis vitandus non erit.

Qua sit suspensio iudicis. h. d.

Iudicis suspensio est, ut cum sententia quis ab eadem executione ex causa remouetur.

Suspensio solum ordinem & statum Ecclesiasticum respicit: & privatis praesupponit licentiam. h. d.

Et autem suspensio (velut Ecclesiastica censura considerata) respectu quodam aliquantò quàm excom-

municatio, vel interdictum, strictior: quippe quod & excommunicatio, & interdictum non solum clericos, verum etiam laicos innectere possunt: at suspensio cum nihil aliud sit, quàm inhabilitas quaedam ad exequendos ordines, & officia Ecclesiastica, nullos praeterquam ipsos clericos attingere potest. Nec enim ulli ejus ordinis, vel officij, cuius est penitus expertus, administratio vetari & interdicti potest.

Ingerens se divinis, incurrit irregularitatem. Et quid sit irregularitas. h. d.

Cavebunt a igitur Clerici, Iudices, & Ecclesiarum Praelati, ne poenam hanc suspensionis incurrant, scituri, quòd si ea durante sese divinis ingesserint (secundum Canoniarum sanctionum tenorem & distinctionem) irregularitatis laqueo sese involvent, à quo interdum non, nisi per summum Pontificem, liberari poterunt. Est autem irregularitas, nota quaedam, seu Canonicum impedimentum, ex facto seu defectu proveniens, quo quis tam ad Ecclesiasticos ordines promoveri, quàm promotus in iisdem ministrare prohibetur. quod qualiter accadat, tam supra ex primo libro, quàm etiam ex varijs Decretalium locis facile est legentibus cognoscere.

Episcopi & superiores nunquam incurrun sententiam interdicti, vel suspensionis, ipso iure, nisi de ipsis expressa mentio habeatur. h. d.

EA propter optima ratione Innocentiana à constitutione cautum est, ne Episcopi eorumque superiores ullius constitutioni, sententiae, sive mandati occasione, interdicti, vel suspensionis sententiam (nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur) ipso iure incurrant: esset enim hoc nimis periculofum, ob Pontificalis officij, quod frequenter exercere compelluntur, executionem.

Explicit liber quartus & ultimus Institutionum Iuris Canonici: in quibus, si quid diversum Lector invenerit ab his, quae in Commentario jampridem edito delineata inveniantur, scito ea Authorem, cum ultimam Operi laudem adhibere, meliora secutum immutasse.

a C. r. in fin. & c. is cui de sent. excom. in 6. b C. quia periculosum de sent. excom. in 6.

a C. fin. extr. de cohabit. cler. & mul.

FINIS.



